DECANI FACULTATIS MEDICÆ

JO. HADRIANI SLEVOGTII D.

ANAT. CHIR. ET BOT. P.P. itemque MED. DUC. PROV.

PROLUSIO

DE QUÆSTIONE

AN CRUS PARALYTI-
CUM CITIUS RESTI-
TUATUR
QUAM BRACHIUM?

PUBLICÆ INVITATIONI

AD

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

DE

ÆGRO PARALYSI PERFECTA LABORANTE

D. XX DECEMBR. HABENDAM

PRÆMISSA

JENÆ

DIE XIX DECEMBRIS MDCCIV.

LITERIS GOLLNERIANIS.

DVm more, apud nos recepto, publicam invitationem ad clariſſimi ſummorum in Medicina honorum Candidati,

JO. SAMVELIS TOBIÆ
WIDERI

Weiſſenburgo Franci, Diſſertationem inauguralem, de ÆGRO PERFECTA PARALYSI LABORANTE, paro, & ex ſubſtrata materia potius, quam aliunde occaſionem nonnulla præfandi quæro, incido in Gaſpari a Reies, Franci, *Campum Elyſium jucundarum quæſtionum*, quem inſcriptio per ſingularem παῤῥησίαν *Medicis inprimis, hinc Theologis quoque & Juris peritis, omniumque bonarum diſciplinarum ſtudioſis, Philoſophis, Philiatris, Philologis, Philomuſis ſumme utilem, & ab omnibus expetitam* pronunciat.

Eſt hic liber varia eruditione refertiſſimus, & ingenii admodum fertilis multæque lectionis genuinus partus. Enimvero ſolet hoc pleriſque eorum commune eſſe, qui multum ſcribere, & de quampluribus rebus judicium ſuum publico exponere geſtiunt, ut ab initio cum adhibita circumſpectione meditationes ſuas in lucem edant, omnibusque viribus ad applauſum legentium contendant. Quem ubi ſemel aſſecuti ſunt, vel ſaltem ſeſe aſſecutos eſſe opinantur, indies equidem majori plura ſcribendi pruritu incitantur; ſed ſæpenumero haud eandem, qua quondam utebantur, diligentiam adhibent. Unde fit, ut ſubinde, ipſis non attendentibus, nonnulla ex calamo excidant, quæ ulteriori lima indigent:

aut

aut nimia fiducia facultatis bene ſcribendi eos audaciores reddat, ut nec ubique de idoneo ſcriptionis argumento multum ſolliciti ſint, nec quam in præſentia explicandam ſibi ſumſere doctrinam, cum decente ἀκριβείᾳ pertractare laborent; perſvaſi, id aliis quoque probatum iri, quod ipſis dignum viſum fuit, in quo tempus ſuum male collocarent: aut denique recepta dogmata faſtidientes, in ſublime vehantur, & plus ultra ſemper nitentes, tandem nova principia rerum, & inauditas concluſiones in theoriam non minus, quam in praxin ipſam introducere ſatagant.

Haud opus eſt, ex priſcis ſeculis Plinium, Galenum, nunnullosque Arabes nominare, multo minus Hippocratem ipſum in exemplum adducere conveniet; cum pluſculos libros, nomen Coi gerentes, nunquam ejus manũ expertos eſſe, doctiſſimi viri dudum evicerint: quippe nemo recentiores rerum naturaliũ atque medicarum ſcriptores celeberrimos, Paracelſum, Helmontium, Fluddium, Carteſium, ſimilesqve ignorat, in quorum ſingulos unam ſaltem alteramque *notarum*, modo a nobis recenſitarum, cadere, vero perquam ſimillimum eſt, & facile oſtendi poſſet, modo inſtitutum noſtrum pateretur, de unoquoque apertius loqui.

Satis itaque nobis erit in præſentia, idem de Elyſii campi autore, ſupra laudato, poſſe aſſeri. Hic enim dum hiſtorica cum moralibus, politicaque cum phyſicis & medicis eum in finem miſcet, ne uni eidemque chordæ oberrando, lectori faſtidium creet, materiæ quidem grata varietate legentes recreat, ſed quia non niſi principiis antiquorum, modernis non amplius arridentibus, adhuc inſtructus eſt, contingit utique interdum, ut aliquid humani patiatur, & quando de argumento aliquo, prolixo verborum apparatu huc atque illuc agitato, tandem ἐπίκρισις formanda venit, minus firmus ſtet, & non tam

propria,quam fundamentorum, quibus innititur, infirmorum culpa titubet labaturque.

Exempli loco hac vice eſto p. 1066 extans *quæſtio* octogeſima: *unde accidat, quod paralyſin legitimam patientes, a crurum pedumque reſolutione plerumque reſtituantur, ita ut ambulare poſſint; brachium autem fere ſemper immotum maneat?* quam pag. 1071, ſub nomine *Problematis*, fuſius ita proponit: *qui fiat, quod paralytici, qui corporis medietatis, brachii & cruris ſenſu omni & motu privantur, ab adhibitis remediis, quibus aliquando utilitatem conſequuntur, hanc potiſſimum in crure experiantur: ita ut (laborioſe licet) eos incedere plerumque videamus, brachii vero reſolutio rariſſime aut nunquam emendetur, ſed id immobile & paralyticum prorſus maneat?*

Circa reſolutionem hujus problematis,& τὸ ὅτι propoſiti phænomeni eſt Reies adeo ſecurus, ut rem ipſam revera ita ſeſe habere ſupponendo, tantum de τῷ διότι ſollicitus ſit. Sed prodit hoc modo ſuam ἀπειρίαν, & indicat, ſemet vel non diu, vel non multum inter ægros verſatum fuiſſe, neque quid alii Medici ſtatuant, ex eorum obſervationibus ſibi familiare reddidiſſe. Eſt enim hæc ſententia nova, nec reſpondet experientiæ; utpote per quotidianam Praxin docenti, nullam hic regulam univerſalem valere, neque pedes prærogativa aliqua pollere, ſed æque *difficulter* ac brachia, imo ſæpe *difficilius tardiusque*, vel etiam *plane non ſanari*.

Quod vero cauſas diverſitatis hujus notabilis attinet, quamvis hæ, poſtquam rem ipſam, de qua controvertitur, non ita, uti Reies ſcribit, dari oſtendimus, omnino quoque ceſſent; operæ tamen pretium erit eas produxiſſe, ut de earum valore judicari poſſit. Provocaverant Rondeletius, cap. de Paralyſi, & Foreſtus, obſ. 91, lib. 10, (quos Reies autores ſui problematis habet) ad *ſiccitatem majorem, majusque robur*

in crurum, *quam in brachiorum nervis*. Sed utrumque recte negat Reies: cum adhuc incertum ſit, an brachia a cruribus in hoc puncto ſuperentur, minorique ſiccitate aut paucioribus viribus polleant, quia & motus, ac reliquæ actiones contrarium perſuadent. Certe, ſi dicendum, quod res eſt, etſi omnino in crurum nervis major gradus firmitatis, quam in brachiis reſideat, neutiquam tamen is ex *ſiccitate* aliqua, ceu prima, eaque paſſiva qualitate derivandus eſt; nec tam ad reconvaleſcentiam velociorem multum facere, quam immunitatem potius cruribus a paralyſi, & ne eadem huic æque cito, ac brachia ſuccumbant, præſtare videtur.

Deſtructis hoc modo Rondeletii & Foreſti rationibus, profert Reies ſuas, quæ tamen haud melioris commatis ſunt, quando *primam* ex *rectitudine nervorum cruralium* depromit, hujusque beneficio facultatem animalem promtius ad pedes, quam ad brachia, obliquum magis nervorum ſitum obtinentia, deferri ſcribit. Alteram deſumit ex *materiali morbi cauſa*, quod hæc principium nervorum occupans, brachii nervis vicinior ſit, inque eos copioſior influat. Tertiam *ordinem naturæ* ſuppeditare putat, quæ ſenſum tactus prope cerebrum imbecilliorem, in extremis autem validiorem ac perfectiorem fecerit, ſimili ratione ac parentes longe abſentium liberorum majorem curam habeant, quam domi præſentium.

Verum enim vero ſicuti primum argumentum mox corruit, modo oſtenditur, nec crurum nervos omni obliquitate carere, quando ex lumbari & oſſis ſacri medulla prodeuntes, æque ad latus intorquentur, ac illi, qui ex collo & ſuperiori parte dorſi ad brachium deſcendunt. In altero argumento eſt vocabulum *principii* ambiguum, pro-

ut

ut ſcilicet vel de omnium nervorum vertebralium communi origine, medullæ oblongatæ intra cranium continuato, vel de ſingulorum nervorum, ex ſpinali medulla proſilientium, initio in ſpecie intelligi poteſt. Quod ſi jam Reies de priori loquitur, tunc univerſalem paralyſin oriri, nec brachium magis, quam pedes affici apparet. Si vero poſterius vult, tunc nihil obſtat, quo minus eadem quantitas materiæ peccantis crurales nervos obſtruat ac brachiales, iſtorumque curationem æque arduam ac horum faciat. Tertium obſcurum prorſus eſt, & obloquitur potius naturæ legibus, quam ut ejusdem ordinis effectus ſit, nec ſimile, a parentum ſollicitudine de abſentibus liberis deſumtum, eousque extendendum eſt, quaſi partes corporis exteriores, & a corde cerebroque remotiores naturæ cariores ſint, quam viciniores ac interiores. Siquidem receptiſſimum eſt apud Medicos, eas partes *debiliores* vocare, quæ a nobilioribus, & ad vitam magis neceſſariis, remotiores ſunt; quorum numerum crura quoque ſubire, & majori quidem jure, quam brachia, notiſſimum eſt, horumque paralyſin non ſegnius, quam iſtorum abigi poſſe, experientia & ſupra laudata diſſertatio teſtantur.

Natus eſt hujus Autor clariſſimus anno proximi ſeculi MDCLXXIX, Weiſſenburgi, libera Imperiali civitate, ubi ab honeſtiſſimis parentibus, patre D. D. Jacobo Samuele Widero, diverſorum Imperii magnatum Archiatro & Phyſico Reip. ordinario, ferarumque aquarum Inſpectore: Matre vero Anna Regina Kohleria, Chriſtophori Kohleri, Mercatoris & Civis quondam Norimbergenſis inclyti filia, matrona virtutibus ſexus ſequioris maxime conſpicua, nihil intermiſſum fuit, quod ad

ſol-

ſollicitam informationem Filii in omnibus pietatis & eruditionis partibus facere potuit. A teneris enim annis eum Scholam publicam frequentare juſſerunt, in qua Affinis ſui, dum viveret cariſſimi, Georgii Michaelis Nudingii, Rectoris Scholæ dexterrimi, fideliſſima informatione tamdiu uſus eſt, donec anno MDCIC illuſtrem Altorfinam Academiam adiret, in qua ultra biennium ſtudiis Philoſophicis ſub manuductione B. Sturmii, & Medicis in lectionibus botanicis, anatomicis, phyſiologicis, ac chimicis, publicis privatisque, excellentiſſimorum Profeſſorum, D. D. Brunonis & D. D. Hoffmanni ſedulam operam navavit. Anno MDCCII a venerando Parente domum revocatus, ex fideliſſima ejus & quotidiana informatione quasvis morborum cauſas & curationes addiſcendi largiſſimam occaſionem habuit, ex viſitatione ægrorum & apertione multorum Cadaverum indies uberiores fructus capiens, ſeque ad futuram praxin præparans.

Hanc tamen cum ſine honorabili titulo adire nollet, ante ſemeſtre ad nos venit, & in Candidatorum numerum receptus, Baccalaureique charactere inſignitus, ad ulteriora ſpecimina progrediendi libertatem nactus eſt. Ventilabit igitur cras, Deo volente, jam nominatam *Diſſertationem Inauguralem*: quam ut Magnificus Dominus Pro-Rector, Comites illuſtriſſimi, Patres Academiæ venerandi, Hoſpites omnium ordinum honoratiſſimi, nobilisque & lectiſſima Studioſorum Corona ſua præſentia illuſtrare velint, eſt quod Facultatis nomine cum decente reverentia, officioſiſſime & amanter peto. P. P. ſub Sigillo Facultatis, Jenæ, die XIX. Decembr. MDCCIV.

L. S.